



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Præceptori Et Fratribvs Hospitalis sancti Samsonis Constantinopolitani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

insigni videlicet plenitudinis pontificalis officij, curabimus destinare, qui & sciet & poterit cum sapientiae divinae potentia commissam sibi Ecclesiam spiritualiter & temporaliter gubernare. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani v. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

R. ET A. ATHENIENSIBVS
& magistro G. Dimicensi Canonico.

Epist. 74.
De congrua
portione Ca-
nonicorum
Thebanorum.

Cum olim ad petitionem dilectorum filiorum Canonicorum Ecclesiae Thebanae dilecto filio Nazorefen electo & suis conjudicibus dedissem nostris litteris in mandatis ut venerabilem fratrem nostrum Thebanum Archiepiscopum admonerent eisdem Canonicis portionem de rebus Ecclesiae suae congruam assignare, idem Archiepiscopus, prout nostris auribus est relatum, monitionibus illorum inductus, confideratis redditibus ejusdem Ecclesiae ac facultatibus univ[er]sis, medietatem earum Canonicis contulit memoratis liberaliter: qui tandem humiliter postularunt à nobis ut concessionem hujusmodi dignaremur auctoritate apostolica roborare. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus concessionem ipsam, sicut provide facta est, faciatis firmiter observari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani vi. Idus Martij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

THEBANO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 75.
Mandatur ei
ne vexet Cano-
nicos.

Dilecti filij Thebani Canonici nobis grauiter sunt conuesti quod tu pro qualibet leui causa, juris ordine praetermisso, sententiam excommunicationis in ipsos saepius jaculari praesumis, cumque propter varia maris & terrae pericula, pro beneficio absolutionis habendo ad nos accedere nequeant, Ecclesia sua sapissime hac de causa ulterius quam deceret debito seruitio defraudatur. Ne igitur nimium deferendo praelatis, subjectos opprimere videamur, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus in Canonicos ipsos praecipitare sententiam contra juris ordinem non praesumas, sed ita satisfacias de injuriis super hoc irrogatis eisdem quod justam de te materiam non habeant conquerendi. Alioquin pro certo cognoscas quod si nobis super hoc fuerit iterata querela, officij nostri debitum conquerentibus reddemus. Datum ut in alia per totum.

ATHENIENSI ARCHIEPISCOPO
& suffraganeis ejus.

Dilectus filius nobilis vir O. de Roca Dominus Atheniensis per litteras nostras vestram petiit providentiam admodum ut in castris suis & villis, in quibus duodecim Latini abundantes certas haberint mansiones, proprios sacerdotes, quibus integrè à Latinis laicis decimae persolvantur, instituire curaretis, praesertim cum iidem laici sint parati hujusmodi Prefbyteris, quibus decimae non sufficerent, providere. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus petitioni ejusdem nobilis super hoc, prout videritis expedire, beneuolum praebatis assensum. Alioquin dilecto filio magistro R. Decano Davaliensi & B. Cantori & Terrico Canonico Thebanis dedimus in mandatis ut veritate super hoc diligentius inquisita, illam nobis studeant fideliter intimare. Datum Laterani &c. ut in alia per totum.

Scriptum est ipsis super hoc in eundem sermone usque in finem. Quod si non omnes &c. Datum ut in alia per totum.

PRÆCEPTORI ET FRATRIBVS
Hospitalis sancti Samsonis Constantinopolitani.

Annueri consuevit sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem beneuolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, castellum quod Garelis vulgari ter appellatum vobis cum pertinentiis suis carissimus in Christo filius noster Henricus Constantinopolitanus Imperator pia liberalitate donavit, domos quoque, casalia, terras, vineas, & possessiones alias, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, vobis & per vos domui vestrae auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani xviii. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio decimo.

P A T R I A R C H A E
Constantinopolitano.

Si tua fraternitas consideraret attentè quod ab uno patre descenderimus univ[er]si, & quod non sit personarum acceptio apud Deum, sed ei de omni gente qui